

tire : ut quibus beatæ Virginis partus exstitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio S. Petri, præmissa Commemoratio S. Joseph Sponsi B.M.V.

Añã. Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph.

V. Os justi meditabitur sapientiam. **R.** Et lingua ejus loquetur judicium.

Oratio.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quaesumus Dómine, méritis adjuvémur : ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

AD HORAS.

Añã de Laudibus; Capitulum et R. br. ut in Festis B. M. V. per Annum.

IN II. VESPERIS.

Añã de Laudibus; Psalmi Capitulum et Hymnus, ut in Festis B.M.V. per Annum.

V. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis. **R.** Cujus vita inclyta cunctas illustrat ecclesias.

Ad Magnif. Añã. Desponsatio tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo : ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster : qui solvens maledictionem, dedit benedictionem : et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Deinde fit Comm. S. Joseph.

Añã. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dóminus super familiam suam.

V. Glória et divitiæ in domo ejus. **R.** Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

OFFICIUM VOTIVUM S. Jacobi

Apost. Hispan. Patroni.

Ex concess. Clementis Papæ IX. recitandum in regnis Hisp. (ritu semid., atque extra Advent. Quadrag., Feriam ij. Rogat. et Vigiliis) singulis Feriis ij. non impeditis Festo ix. Lect. nec Officio Dñicæ anticipandæ.

Leo vero Papa XIII. die 24. Nov. 1884. indulgere dignatus est translat. hujus Officii a Feria ij. ad iij. itemque extensionem Officii ejusdem ad omnes illas Ferias indulto Clement. exceptas, et quas non ex-

ceptis indult. generale diei 5. Julii 1883 : ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Offic. votiv., aut feriale, vel Vigiliæ; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, posthac recitari omnino debeat Offic. votiv., et non feriale, neque Sancti ritus simplicis. (S. R. C. 18. Februarii 1880.)

IN I. VESPERIS.

Añã et Capit. de Laud. Psalmi ut in j. Vesperis de Communi Apost.

Hymnus.

Defensor alme Hispaniæ, Jacobe, vindex hostium, Tonitruum quem filium Dei vocavit Filius.

Huc cœli ab altis sedibus Converterte dexter lumina, Audique læti debitas Grates tibi quas solvimus. Grates refert Hispania, Felix tuo quæ nomine : Te gloriatur jûgiter Dignata sacris ossibus. Tu, cæca nox atque impia Nos cum teneret vanitas, Lucem salutis primitus Oris Iberis impetras.

Tu, bella cum nos cingerent, Es visus ipso in proelio, Equoque et ense acerrimus Mauros furentes sternere. Freti tuo nos pignore,

Largum tuo te munere Rogamus omnes, ut tuæ Spe protegas presentiam. Deo Patri sit gloria, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paraclito, Et nunc, et omne in sæculum. Amen.

V. In omnem terram exivit sonus eorum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnif. Añã. Misit Heródes * rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

Oratio.

Esto Dómine plebi tuæ sanctificator et custos : ut beati Jacobi Apostoli tui munita præsidii, et conversatióne tibi placeat et secúra mente deserviat. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitat. Hymnus, Añã, Psalmi et V. Nocturnorum de Communi Apost. In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

R. j. Procedens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi, * Et vocavit eos : qui statim, relictis retibus et patre, secuti sunt Dóminum. **V.** Erant Jacobus et Joannes fratres in navi cum

Zebedæo patre eorum, recipientes rétia sua. — Et vocávit.

R. ij. Vocávit ad se Dominus Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et fecit ut essent secum inter duodecim, et ut mitteret eos prædicare. * Et impósuit eis nómína Boanérge, quod est filii tonitruui. **V.** In omnem terram exívit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. — Et impósuit.

R. iij. Cum venisset Jesus in domum principis Synagógæ, * Non permísit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem et matrem puellæ. **V.** Et dixit : Nolite flere : non est mórtua puella, sed dormit. — Non. **G**loria Patri. Non.

MENSE SEPTEMBRI.

In II. Nocturno.

Ex Tractátu sancti Augustíni Episcopi super Psalmos.

Lectio ib. In Psalm. 44.

QUO pátribus tuis nati sunt tibi filii. Genuérunt te Apóstoli : Ipsi missi sunt, ipsi prædicaverunt, ipsi patres. Sed numquid nobiscum corporaliter semper esse potuerunt? Et si unus ipsorum dixit :

Cúpio dissólvi et esse cum Christo, multo magis optimum est; manere autem in carne necessarium propter vos. Dixit hoc quidem, sed quám diu hic manere potuit? Numquid usque ad hoc tempus? Numquid usque in posterum? Ergo illorum abscessu deserta est Ecclesia? Absit. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii. Quid est, pro pátribus tuis nati sunt tibi filii? Patres missi sunt Apóstoli : pro Apóstolis filii nati sunt tibi, constitúti sunt Episcopi.

R. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum : * Et transfiguratus est ante eos. **V.** Et ecce apparuerunt illis Móyses et Elías cum eo loquentes. — Et transfiguratus.

Lectio v.

Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum, unde nati sunt? Ipsa Ecclesia patres illos appellat : ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es. De prole tua tibi crevit paternitas.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. Vide templum regis, quam late diffusum est, ut nóverint virgines, quæ non adducuntur in templum regis, non se ad istas nuptias pertinere.

R. Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Jesus Jacobo, et Joanni filiis Zebedæi. * At illi dixerunt ei : Póssumus. **V.** Calicem quidem, quem ego bibo, bibétis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. — At.

Lectio vi.

PRO pátribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram. Hæc est catholica Ecclesia : filii ejus constitúti sunt principes super omnem terram; filii ejus constitúti sunt pro pátribus. Agnoscant, qui præcisi sunt : véniant ad unitatem : adducantur in templum Regis. Templum suum Deus ubique collocávit, fundamenta Prophetarum et Apostolorum ubique firmávit. Filios genuit Ecclesia : constituit eos pro pátribus suis principes super omnem terram.

R. Assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem secum, et cœpit parvère, et tædere; * Et ait illis : Tristis est ánima mea usque ad mortem. **V.** Sustinete hic, et vigilate mecum. — Et. **G**loria. Et.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore : Accéssit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 71. in Matth.

Sedere autem a dextris, et a sinistris, non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo. Quibus porro paratum est? Illis videlicet, qui fulgentissimis operibus evasuri sunt. Ideo vero dixit : Non est meum dare, sed Patris mei; ne quis infirmum atque impotentem ad hanc ipsam fore retributionem opinetur. Sed quonam modo? Non est meum, inquit, sed quibus paratum est. Verum, ut clarius fiat quod dicimus, exémplo id ante oculos ponamus. Ad editorem igitur mú-

nerum atque certáminis, quo multi ac præclári athlétæ cónfluant, duos quosdam ipsi præcipua familiaritáte conjúctos accessisse fingámus, qui amicitia principis freti, postuláre áudeant, ut victóres ipsi præcónio declaráti coronéntur. Quibus ille respóndeat : Non est meum id dare, sed quibus labóre atque sudóre præparátum est.

R. Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiá. * Occidit autem Jacobum fratrem Joánnis gládio. **V.** Ecce ego mitto ad vos Prophétas, et sapiéntes, et scribas, et ex illis occidétis. — Occidit.

Lectio viij.

NUM igitur quasi non poténtem illum id fácere condemnábimus? Nequáquam, sed justítiam ejus admirábimur: et quóniam non persónam, sed rem respicit, laudábimus. Quemádmódu[m] igitur editiónis múnere[m] atque certáminis principem, non quia non potest, sed quia non vult luctatiónis transgredi leges et justítiae órdinem conturbáre, sic útique Christum id dixisse affirmámus.

R. Iste est qui ante álios Apóstolos primus plantá-

vit Ecclesiám ságuine suo : * Cujus corpus in Gallæciam delátum per totum orbem glória illustrátur. **V.** O sidus! o decus Hispaniæ! sancte Jacóbe Apóstole, intercède pro nobis ad Deum, qui te elegit. — Cujus. Glória Patri. Cujus.

Lectio ix.

ITA úndique illos compellébat in grátia Dei primum, deinde, in labóribus própriis omnem salútem, et glóriæ spem repónere. Ideo dixit : Quibus parátum est. Nam si álii præstantióres videbúntur, si excellentióra, quam vos, ópera factúri sunt, quómodo, illis expúlsis, locum eórum vos occupábitis? An quia mei discipuli estis? idcirco étiam si non digni primátu éritis, præmia tamen quoque consecutúros vos arbitrémur? Te Deum.

MENSIBUS OCTOBRI ET NOVEMBRI.

In ij. Nocturno, Lectio- nes. Fundaménta. de Comuni ij. loco.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 20.

IN illo tempore : Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum

filiis suis, adorans et petens áliquid ab eo. Et réliqua:

Homília sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 2. de Fide ad Gratianum, Cap. 3.

Quotéstis bíbere cálicem quem ego bibíturus sum? Dicéntibus autem illis, Póssumus, ait illis Jesus : Cálicem quidem meum bibétis : sedére autem ad dexteram meam, vel ad sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Quam pátiens et clemens Dóminus, quam alta sapiéntia, et bona caritas! Volens enim osténdere, quod non perfunctóriam rem áliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetráre non possent, prærogatívam eis patérnæ honorificéntiæ reservávit, non métuens, ne quid juri próprio derogáret, qui non rapínam arbitrátus est, esse se æquálem Deo, simul diligens discipulos, quia, sicut habes, Usque in finem diléxit eos. Nóluit his, quos diligeret, vidéri quod péterent denegásse sanctus et bonus Dóminus, qui mallet áliquid dissimuláre de jure, quam de caritate depónere. Caritas enim

pátiens est, benigna est, non æmulátur, non inflátur, non quærit quæ sua sunt.

R. Misit Heródes. 132.

Lectio viij.

DEnique, ut agnoscatís non infirmitátis, sed indulgéntiæ esse quod dixit. Non est meum dare vobis, ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit : sic enim habes; non est meum dare vobis, sed quibus parátum est. Ita Marcus Evangelísta pósuit. Ubi vero mater pro filiis rogat, hoc est secúndum Matthæum. Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Hic áddidit, a Patre meo, quia majórem indulgéntiam matérnus poscébat affectus.

R. Iste est. 132.

Lectio ix.

Quod si putant dicéndo, Quibus parátum est a Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi áliquid derogávit, dicant, utrum et illic putent Patri áliquid derogátum, quia dixit in Evangélio Filius de Patre : Pater non júdicat quemquam. Quod si sacrilégium putámus, dicere quod Pater ita júdicium détulit Filio, ut ipse non hábeat :

(habet enim, nec potest amittere, quod habet naturaliter divina Majestas) sacrilegium utique aestimare debemus, quod non potest Filius dare quidquid, aut homines mereri possunt, aut quaevis accipere creatura, praesertim cum ipse dixerit: Ego ad Patrem vado, et quodcumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam. Te Deum.

AD LAUDES,
et per Horas Añae.

1. Accessit ad Jesum * mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo.

Psalmi de Dominica.

2. Dic ut sedeant * hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.

3. Potestis bibere calicem * quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

4. Calicem quidem meum bibetis: * sedere autem ad dexteram meam et ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

5. Quicumque voluerit * inter vos major fieri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4.

Fratres, Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit,

tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, et Angelis, et hominibus.

Hymnus.

Jesu, salus mortali-
lium,
Nobis ades, dum dicimus
Laudes Patrono Hispaniae,
Tuam canentes gloriam.
Laudandus hic est unice,
Quod primus in certamine
Apostolis ex omnibus
Pro te profudit sanguinem.

Tui beatus pluribus
Notis amoris maximi:
Quod testis usque inter-
fuit

Reconditis mysteriis.

Seu vi potentis dexteræ
Surgit Jairi filia,
Quando in paternis aedi-
bus

Est excitata ab inferis.
Seu vultus ut sol splen-
didus,

Et vestis ut nix candida,
Thaboris alto in vertice
Signum tuæ dant glori-
æ.

Seu monte olivis consito
Angoris est index tui
Sudor tuo de corpore

Ceu gutta manans san-
guinis.

Deo Patri, sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito,
Et nunc, et omne in sæ-
culum. Amen.

V. Annuntiaverunt ope-
ra Dei. **R.** Et facta ejus
intellexerunt.

Ad Bened. Añae. Visi-
tavit nos * per sanctum
suum Apostolum, et fecit
salutem de inimicis nostris
Dominus Deus noster,
alleluia.

Oratio.

Esto Domine plebi tuæ
sanctificator et cus-
tos: ut beati Jacobi Apo-
stoli tui munita praesidiis,
et conversatione tibi pla-
ceat, et secura mente
deserviat. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Capit. Fratres, Puto. ut
ad Laudes.

R. br. In omnem terram,
* Exiit sonus eorum. In
omnem. **V.** Et in fines or-
bis terræ verba eorum.
Exiit. Gloria Patri. In
omnem.

V. Constitues eos prin-
cipes super omnem ter-
ram. **R.** Memores erunt
nominis tui Domine.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. Cor. 4.

NOS stulti propter
Christum, vos au-
tem prudentes in Christo:
nos infirmi, vos autem
fortes: vos nobiles, nos
autem ignobiles.

R. br. Constitues eos
principes, * Super omnem
terram. Constitues. **V.** Mé-
mores erunt nominis tui

Domine. Super. Gloria
Patri. Constitues.

V. Nimis honorati sunt
amici tui Deus. **R.** Nimis
confortatus est principa-
tus eorum.

AD NONAM.

Capitulum. 1. Cor. 4.

NAM si decem millia
paedagogorum ha-
beatis in Christo, sed non
multos patres. Nam in
Christo Jesu per Evan-
gelium ego vos genui.

R. br. Nimis honorati
sunt, * Amici tui Deus.
Nimis. **V.** Nimis confor-
tatus est principatus eo-
rum. Amici. Gloria. Nimis.

V. Annuntiaverunt ope-
ra Dei. **R.** Et facta ejus
intellexerunt.

IN II. VESPERIS.

Añae et Capit. de Lau-
dibus. Psalmi ut in ij. Ve-
speris de Communi Apo-
stolorum.

Hymnus ut in j. Vesp.
V. Annuntiaverunt ope-
ra Dei. **R.** Et facta ejus
intellexerunt.

Ad Magnificat, Añae. O
beatum Apostolum, * qui
inter primos electus, pri-
mus omnium Apostolo-
rum Domini calicem bi-
bere meruit! O gloriosum
Hispaniae regnum, tali
pignore ac patrono mu-
nitum, per quem fecit illi
terram. Constitues. **V.** Mé-
mores erunt nominis tui
alleluia.

Officium de Immaculat. Concept. B. M. V.

Hispaniæ Patronæ.

Ex concessione Clementis Papæ XIII. recitandum in regnis Hispaniar. (ritu semid., atque extra Advent., Quadrag., Quat. Temp. et Vigil.) singulis Sabbatis non impeditis Festo novem Lect. nec Officio Dominicæ anticipandæ. Verum S. R. C. die 18. Febr. 1889 indulgere dignata est extensionem Officii ejusdem ad omnia illa Sabbata indulto Clementino excepta, et

quæ non excipit indultum gener. d. 5. Julii 1883; ita tamen ut diebus in veteri indulto exceptis, hodie liberum sit recitare Officium votivum, aut feriale, vel Vigil.; diebus vero in eodem veteri indulto non exceptis, in posterum recitari omnino debeat Officium votivum, et non feriale, neque Sancti ritus simplicis.

Offic. ut in Brev. pro universali Ecclesia.



Officium B. Mariæ V. de Guadalupe

Mexicanæ sive Regni Novæ Hispaniæ Patronæ.

DUPLEX MAJUS.

Quod in omnibus dominiis catholico regi subjectis sub Duplici majori die ab Ordinariis assignanda (excepta Dominica) Benedictus Papa XIV. benigne concessit.

Omnia ut in Festis B. M. V. per Annum, præter seq.

Ad Magnif. Ana. Elégi et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomen meum, et permâneant oculi mei et cor meum ibi cunctis diebus.

Oratio.

Deus, qui sub beatissimæ Virginis Mariæ singulâri patrocinio constitutos perpétuis beneficiis nos cumulâri voluisti: præsta supplicibus tuis; ut, cujus hodie commemoratione lætâmur in terris, ejus conspectu perfruâmur in cœlis. Per Dôminum nostrum Jesum Christum.

In I. Nocturno.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 24.



GO ex ore Altissimi prodivi, primogénita ante omnem creaturam. Ego feci in cœlis ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texti omnem terram. Ego

in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circumivi sola, et profundum abyssi penetravi; in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo et in omni gente primatum habui: et omnium excellentium et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus requiem quæsi, et in hereditate Dômini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Créator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabitata, et in Israel hereditare, et in electis meis mitte radices.

¶ Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabunt eam flores rosarum, et lilia convallium. ¶ Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? — Et sicut dies.

Lectio ij.

AB initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæcu-